... Stanisl.

Dzielski Alberti Jos: Gratia stantis laude plena.

GRATIA
STANTIS LAUDIS PLENA,
ex ipso nominis etymo
CLARISSIMI ac EXCELLENTISSIMI DOMINI,

D. JOANNIS STANISLAI DZIDOWSKI,

In Alma Universitate Cracoviensi Philosophiæ & Medicinæ Doctoris ac Professoris,

DUM

PRO LOCO

inter Clarissimos Facultatis Medicinæ Doctores ac Professores,

in Nobilissima Magnorum Hospitum corona responderet,

DEDUCTA;

ac in vim gratulabundi pectoris,

A

M. ALBERTO IOSEPHO DZIELSKI, Philosophiæ Doctore, Scholæ Pöetices Professore,

panegyrico cultu

CELEBRATA.

Anno Gratiæ sublunari Orbi à superis immissæ 1692. Die 21. Aprilis.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

GRATIA
STANTIS LAVDIS PLENA.

Magnitudinem humanæ gloriæ ambire,
ac in virentem honorum aſſurgere palmam,
non levis ſubinde infortunij occaſio eſt.
Nimirum, *trahimur ſæpiùs in altum laudis ſtimulo,*
ut caſu graviore ruamus.
Evolat ſub àëra cereis Icarus pennis,
majorem adverſæ ſortis ſibi paraturus tempeſtatem.
Vix aliquando magna gloria ſine magno periculo invenitur;
quæ etſi pauliſper in ſerenitatem nominis niteſcit,
illico tamen in nubes tenebroſæ famæ condenſatur.
Profectò, *magnum aſtrum laus & honor eſt;*
aſt periculoſas ſæpenumerò patitur eclipſes.
Nihil ſub ſole perennaturi, nihil ſtabilis reperitur.
Sola duntaxat Pallas æternos, & ipſis ſuperis pares occupat honores:
ſolæ Pierides clariùs indicant laudes: neq;
ſi chartæ ſileant, quòd beneféceris, mercedem tuleris:
ipſa non niſi illarũ monumẽta perẽnaturæ virtutis teſtimoniũ præbẽt.
utpotè, *literarum uſu memoriæ fulcitur æternitas:*
æternùm virens Palladis olea nunquã ſqualidam reportat Cupreſſum:
etiam inter ſtrepitum Martis, ſuus honor & dignitas ſtudijs:
non, æſtuante armorum ictu, aduritur ſapientia.
quæ veluti illuſtris Planeta,
ſemper ſtellatum auguſtæ gloriæ conſcendit Zodiacum:
nec unquam exuſta oblivionis ac infortunij obvelatur nube.
Noviſti perbellè
CLARISSIME AC EXCELLENTISSIME
DOMINE DOCTOR,
veram, & veluti lumen Cæli nitentem gloriam,
non niſi in ſolis ſitam eſſe literis.
Didiciſti dilectus Muſis & Apollini adhuc in prætexta Tua ætate,
ad ſumma nonniſi per Palladij ſudoris eniti diluvia:
hinc firma ſtatim perennaturæ laudis jeciſti fundamenta,
quando veluti celeri Pegaſi inſtructus pennâ,
poſtquam ad auguſtum Craci advolaveris Lyceum,
illico toties laborũ Afro, & adverſis quidem exagitatus Aquilonibus,
ſecundis tamen ſemper ad ſcientiæ lumen ducebaris Zephyris:
intimè

intimè Tibi Sacrarum Sororum complacuit Chorus,
cum quibus Castalios delibando latices,
doctum ad Apollinis lyram resonabas carmen.
E Parnassio postmodùm colle, ad eloquentiæ evocatus campum,
toties pro Novoduorscianis facundo ore perorâsti rostris.
Ostendisti non ex vano in sacri fontis lavacro Tibi desponsatam
fuisse Gratiam,
dum solas nonnisi loquebaris Gratias,
dulcem ambrosiam, eloquij nectar, ac pretiosas
in Auditorum animos dispergens verborum gemmas:
Et ut perennè, STANTIS LAVDIS STANISLAE infallibilem
demonstrares propositionem,
monstrâsti Te deinde in acie stagyritica velocem stadiodromum,
& ad Cleāthis lucernā vigiles ducendo horas laboriosū Theopompū.
Certâsti magnis Tuis dotibus, & fortiori nisu, felicior Cyneâ,
qui non Vrbes, sed Magnorum Auditorum mentes in Tui
sermonem captâsti.
Vidit Iagellonica Pallas ingentes Tuos labores,
quos ut dignè præmiari posset,
virentem Tibi primam in Philosophia, mox posthac secundam,
perennaturo Nomini & gloriæ Tuæ contulit Lauream:
spectavêre Te hâc condecoratum Aristotelica Musæa
fortem in decurrendo Philosophico stadio Athletam,
toties generoso disputantem pectore:
Spectavit immensus scientiarum Euripus Theologica Pallas,
indefessum sui speculatorem.
Felix illa ILLVSTRIS ac GENEROSÆ MICHAŁOVIANÆ
PROLIS educatio, ingentē Tibi laudis & gratiarum tribuit portionē.
Didicêre Te scientifico Duce, Te Prodromo Palladij Milites
immensam sibi in campo Sarmatici Orbis imminere gloriam;
virentemq; Minervæ oleam in perennaturas laudū excrescere Cedros.
Agnovêre non solùm in Pyrrhi, ast & in Tuo
Illustri STELLA decorato Annulo habitare Musas,
quando tam in erudita Iagellonica Porticu decertando,
quàm Generosam informando sobolem,
indefessum semper servâsti animum.
Monstrâsti & tunc Generose doctioris Palladis Heros
quid valeant vires, quid magni ingenij Tui dotes,
quando AVREA illâ CLAVI
inevitabili fatorum vi fractâ,
ac in funesta morte

ILLVSTRIS olim ac MAGNIFICI DOMINI,
D. MELCHIORIS
in Michałow
MICHAŁOWSKI,
Dapiferi Terræ Rosanensis &c. &c.
tristi calamo à Te præsentata,
aperuisti Tibi gloriæ Templum,
ex quo sublimior Tua sapientia, virtus, & innatus pectoris
candor, ad majora Te evocavit,
quando unanimi voto, & Majorũ voce Togatus Te secutus est honor.
mox post tot exantlatos in area Philosophica labores,
Medicina Te veluti alterum ad se pertraxit Hippocratem;
& tanquam illustrem in Zodiaco Doctorum collocavit Cynthiam.
Jta est Vir Clarissime,
ingens animi Tui capacitas
nullibi meliùs, quàm in administratione salutis humanæ patere potuit:
utpotè veteri exemplo, authoritateq; Tullij monstrante,
solam hanc ad æternitatem viam esse, proximis benefacere.
Nihil sanè in rebus humanis feliciùs Diviniùsq; censendum,
quàm cum Superis paria facere,
& adversùs mortis furias pro utilitate proximorum
strenuè decertare.
Medicina namq; *Deorum ministerium*,
qui cum ex hominibus Medicos in Cælum evocassent,
ipsi vicissim ad curandos mortales Cælis descendisse credebantur.
Perennaturam proinde, & STANTIS plenam LAVDIS Gratiam
Te promeruisse nemo dubitabit,
quando opera Tua gratiosis, ac perennè laudandis
Divûm facinoribus æmula recogitabit.
Perennabis & ipse Vir Clarissime Pyliam superando ætatem,
felixq; ac fortunatus, meliore Tui parte nunquam mori poteris,
Vives copiosis Cæli cumulatus favoribus
pro meritis & operibus Tuis utilitati proximorum consecratis.
Viues, & æternùm Divis grata, STANTISq; plenâ
LAVDIS beaberis.

GRATIA.

Permissu Magnifici Domini
RECTORIS.